

IV. Concreta essentialia substantiva de Personis prædicantur singulariter; adjectiva autem pluraliter: si tamen substantiva sumantur adjectiva, possunt prædicari pluraliter; si autem adjectiva sumantur substantiva, tantum singulariter prædicantur. Horum ratio est, quia substantiva aut substantive accepta significant formam per modum substantiæ, quæ multiplicari non potest; adjectiva autem vel adjectiva sumpta significant formam adjacentem subjecto seu supposito, quod est multiplex. Juxta regulam 1^{am}. *Tres Personæ sunt unus Deus, unus Creator*; non autem *tres Dii aut tres Creatores*: juxta 2^{am}. in Conc. Later. IV. *tres Personæ dicuntur consubstantiales et coæternæ et cœquales*; in Symb. Athan. *coæternæ et cœquales*: juxta 3^{am}. *Tres Personæ dici possunt tres Domini*: juxta 4^{am}. autem in memorato Symbolo dicitur: *Non tres æterni, sed unus æternus: sicut non tres increati, nec tres immensi; sed unus increatus, et unus immensus* etc.

V. Concreta relativa substantiva in sensu identico affirmantur de essentialibus, tam abstractis quam concretis; quia inter essentialia relativa, seu notionalia, realis identitas intercedit. Eadem prædicantur de Personis in plurali, si his sint communia; item etiam de abstractis illis, quæ assignantur velut principium formale actus notionalis. Relativa autem adjectiva de abstractis essentialibus non prædicantur; quoniam forma ab adjectivis significata illis abstractis formaliter haud inest. Ad 1^{am}. spectat: *Et Deus, et essentia est Pater*; ad 2^{am}.: *Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt tres Personæ*; Item: *Paternitas generat, Filiatio generatur*; ad 3^{am}.: *Essentia generans aut Deitas genita est*; quam prædicationem Conc. Later. IV. proscripsit.

VI. Abstracta essentialia non supponunt pro Personis; cum solum formam, non autem subjectum denotent: ex quo capite rursus non dicitur *Essentia generans aut genita, spirans aut spirata*. Concreta essentialia, maxime *Deus*, secundum se ac sine addito determinante, æque pro Personis, ac pro essentia supponunt, quoniam essentiam existentem ac subsistentem in tribus Personis indicant. Patet in illo 1. ad Tim. 17. *Regi seculorum immortalis, invisibilis, soli Deo honor et gloria in secula seculorum*. Eadem si substent prædicato essentiali, quod essentiæ prout a Personis distinctæ convenit, pro essentia tantum supponunt, ut in his: *Deus est communis tribus Personis, est trinus, est Trinitas*: si autem substent prædicato essentiali, quod Personis congruit ratione essentiæ, supponunt principaliter ac primario pro essentia, minus principaliter ac secundario pro Personis; quod evenit in his: *Deus creat, gubernat, punit* etc. Si denique restringantur per notionale aut huic æquivalens prædicatum, supponunt pro Persona eaque una, vel gemina, cui actus notionalis vel proprietatis competit, sic in hac: *Deus generat*, pro Patre; in ista: *Deus spirat*, pro Patre et Filio subjectum supponit.

365. *Observe*. Ad præsens institutum æqualitas, ordo, et appropriatio reducuntur: æqualitas enim ad Personarum affectiones, ordo ad originis proprietatem, appropriatio ad modum essentialia prædicandi spectat. *Æqualitas* in materialibus quantitate molis; in immaterialibus quantitate perfectionis eadem constituitur, dicente AUGUSTINO L. 6. de Trin. c. 8. *In his, quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse*. Hanc divinis

Personis asserit Scriptura in ep. ad Philipp. 2. 6. de Christo dicens: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*: prædicavit ATHAN. in Symb. et et Later. IV. c. 1., confirmatque ratio; quia considerando Personas secundum essentialia, eadem numero essentia, et eadem attributa adsunt; non potest autem inæqualium esse eadem numero quantitas: spectando autem secundum relativa, hæc quidem non eadem numero sunt, nulla tamen relatio est altera major et dignior, cum nulla singularis sit perfectio simpliciter simplex.

Porro in Divinis Ordo plane est admittendus; tum quia pluralitas sine ordine generaret confusionem: tum quia in Divinis habetur principium, per comparisonem ad quod ordo dicitur. Hic tamen originis ordo nullam dependentiam, ac ne naturæ quidem prioritatem aut posterioritatem involvit; quia, ut AUG. L. 2. cont. Maximin. c. 14. n. 8. inquit, *Est ordo naturæ, non quod alter prior sit altero, sed quod alter sit ex altero*.

Denique *Appropriatio*, seu modus loquendi, quo quædam sive operationes, sive attributa, alioquin tribus Personis communia, specialiter tribuuntur uni Personæ præ aliis, habet omnino locum in Divinis, contestante id Scriptura, Patribus, et recepto Ecclesiæ usu. Fundatur autem in quadam prædicati essentialis aptitudine ad manifestandam proprietatem personalem: aptitudo hæc nititur in congruentia cum eadem proprietate: utraque variatur secundum variam considerationem, qua Deus spectatur, vel ut est ens, vel ut est unus, vel ut habet virtutem ad operandum, vel ut dicitur habitudinem ad effectus.

Secundum considerationem *primam* HILAR. L. 2. de Trin. n. 1. *æternitatem* Patri, *speciem* Filio, *usum* Spiritui sancto tribuit; quia Pater est absque principio, Filius est imago Patris perfecta, Spiritus sanctus est amor ac fructio. Secundum *secundam* AUG. L. 1. de Doct. Chr. c. 5. Patri *unitatem*, Filio *æqualitatem*, Spiritui sancto *concordiam* appropriat: quia Pater non præsupponit Personam alteram; hanc autem Filius præsupponit in Patre; Spiritus sanctus denique duarum personarum unionem dicit. Secundum *tertiam* Patri *potentia et creatio* ex Joan. 14. 10., Filio *sapientia et redemptio* ex 1. ad Cor. 1. 24., Spiritui sancto *bonitas et sanctificatio* ex ep. ad Rom. 5. 5. attribuitur; quia Pater habet rationem principii, Filius est Verbum mentis divinæ, Spiritus sanctus amor est et terminus amoris divini. Secundum *quartam* AUGUSTINUS L. 6. de Trin. c. 10. n. 12. explicans particulas habitudinis in ep. ad Rom. 11. 36. relatas, ait asseri *ex ipso*, propter Patrem; *per ipsum*, propter Filium; *in ipso*, propter Spiritum sanctum; quia Pater ad intra habet se, ob naturæ communicationem, velut causa materialis, ad extra, ob potentiam, velut causa efficiens; Filius ad intra habet se, ob rationem Verbi, seu formalis representationis, instar causæ formalis, ad extra, ob sapientiam, instar artis seu causæ, per quam artifex agit; Spiritus sanctus ad intra habet se, ob mutuum amorem, instar complexus, ad extra, ob bonitatem in conservando, ad modum continentis.

QUÆRES. *An distinctio rationis inter essentiam et proprietates congruat cum Mystério Trinitatis?*

366. R. Congruit. *Prob.* Illa distinctio cum hoc mysterio congruit, quæ requiritur et sufficit ad verificandas propositiones, quibus affirmatio et negatio in eandem simplicem ac distinctam entitatem cadit, quin evadant contradictoriæ; quales sunt: essentia communicatur, paternitas non communicatur; filiatio est genita, essentia non est genita; Pater generat per intellectum, non generat per voluntatem: sed ad hoc requiritur et sufficit distinctio rationis ratiocinatæ inter essentiam et proprietates divinas; ergo.

Prob. 1^a. p. min. Essentia et paternitas, filiatio et essentia, intellectus et voluntas in Deo realiter sunt idem, nec distinguuntur ante operam intellectus; ergo, nisi inter illa admittatur distinctio rationis ratiocinatæ, affirmatio et negatio ejusdem cadent in eandem omnino rem simplicem ac indistinctam; ergo vel propositiones negativæ non verificantur, utpote quæ ob universalem negationem remouent communicationem vel generationem a paternitate vel essentia, sub quacumque ratione et secundum quodcumque realiter identificatum acceptis: vel non ita verificantur ut impediatur contradictio, et ne contradictoriæ evadant; ergo ne alterutrum eveniat requiritur distinctio rationis.

Prob. 2^a. p. min. Essentia a paternitate et filiatione, item voluntas ab intellectu formaliter distincta, sunt res diversis conceptibus præcisivis representatæ: res diversis conceptibus præcisivis representatæ possunt diversimode defini et prædicari: res, quæ diversimode defini et prædicari possunt, possunt affirmari vel negari de eodem sine contradictione; cum hic non fiat affirmatio et negatio ejusdem de eodem; ergo formalis distinctio essentiam inter et paternitatem ac filiationem, item voluntatem inter et intellectum sufficit ad verificandas propositiones, quibus affirmatio et negatio cadit in eandem rem, quin propositiones evadant contradictoriæ.

Nec evincis quidpiam, *si dicas*, ante operam mentis ac independentem ab intellectu essentiam communicari; Filium generari per intellectum, non per voluntatem: cum enim essentia, paternitas, filiatio, intellectus, voluntas sint voces rem cum præcisione rationis significantes; præcisio autem hæc non sit ante operam mentis et independentem ab intellectu, sed per mentis operam ac dependentem ab intellectu fiat; vel propositiones affirmativæ sunt falsæ, ob modum contradictorium terminis præcisis adjunctum, vel, si significatio terminorum sine præcisione accipiatur, negativæ falsificantur, ob negationis universalitatem cum statu reali essentiæ divinæ haud congruentem.

Conf. utr. p. Omnis reduplicatio vel est acceptio termini secundum præcisivum conceptum, vel præcisionem supponit, vel singularem saltem termini usurpationem a mentis opera profectam denotat; sed ad salvandas, circa essentiam et proprietates in Divinis, propositiones contradictorias, Patribus semper visa est necessaria ac sufficiens reduplicatio; ergo actualis vel supposita præcisio, aut interveniens mentis opera, et hinc distinctio rationis Patribus semper visa est necessaria ac sufficiens ad salvandas, circa essentiam et proprietates in Divinis, propositiones contradictorias.

Minor ostenditur ex verbis Patrum 1^o. reduplicacione formalitates deter-

minantium: BASIL. L. 5. cont. Eunom. init. (opp. t. 1. p. 296. B.) inquit: *Quæcumque Patri, ut Deo, non ut Patri, insunt; et quæcumque Filio ut Deo, non ut Filio insunt; ea etiam Spiritui sancto insunt.* CHRYS. hom. 1. (al. 2. n. 4.) in Joan. *Quoniam pacto, nulla habita mentione Patris, de Filio sermonem aggreditur? quoniam omnibus constabat Patrem esse, si non ut Patrem, saltem ut Deum.* AUG. Serm. 38. de Temp. (al. ALCUIN. de Trin. L. 1. c. 2.) *Quidquid est Pater, quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est; hoc Filius; hoc Spiritus sanctus est.* 2^o. Reduplicacione distinctionem demonstrantium: ATHAN. Dial. 1. cont. Anom. (al. Dial. 1. de Trin. n. 11.) *Nequaquam differt (Pater a Filio) in eo quod Deus et Pater sit, sed in eo quod sit Pater et Filius; quoniam ille quidem genuit, hic vero genitus est.* Et in Or. 3. cont. Arian. n. 4. *Quoniam Filius est aliud, quatenus est genitus; attamen idem existit, quatenus est Deus.* CYR. ALEX. L. 7. de Trin. (opp. t. 5. p. 240. B. C.) *Non in eo quod est Pater, Deus est Pater; neque in eo quod est Filius, Deus est Filius... non enim Pater Deus est, quia genuit; neque Filius Deus, quia genitus est; sed Deus existens genuit Patrem, et Deus existens genitus est Filius.* AUG. L. 5. de Trin. c. 6. *Non secundum hoc, quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri; restat ut secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur.* 3^o. Reduplicacione vocis et mentis præcisionem declarantium: NAZIAN. Orat. 42. n. 15. postquam Filium appellasset principium, subjungit: *Nec principium, eo quod principium est, ab eo, quod principio caret, dirimitur: non enim principium ipsi natura est, quemadmodum nec illi, quod principii expers sit. Circa naturam enim hæc considerantur, non autem natura ipsa sunt.* AUG. in Psal. 68. Serm. 1. n. 5. *Pater non ad se, sed ad Filium dicitur; ad se autem Deus dicitur. Itaque eo quod Deus est, hoc ipso substantia est: et quia ejusdem substantiæ Filius, procul dubio et Filius Deus. At vero Pater est, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium, non sic dicimus Filium Patrem esse, quomodo dicimus Filium Deum esse;* SOPHRONIUS in Epist. in Conc. IV. Act. 11. (Labb. t. 6. p. 861. A.) recitata: *Juxta quod Deus est, id ipsum existit unumquodque suppositum, dum seorsim consideratur, ipsa intelligentia, quod non separabile, separante. Quæ verba a GREG. NAZIANZENO (Orat. 23. n. 11.) mutuatus est SOPHRONIUS.*

367. *Observe.* Personas vel personalitates divinas vocant tres res ALEXANDER Ep. ALEX. in ep. ad Alexandrum Constantinopolitanum, (Labb. t. 2. p. 11. D.) AUG. L. 1. de Doctr. Christ. c. 3. et 5., ANSELM. L. de Incarn. c. 3. init. cum CONC. RHEMENSIS (Labb. t. 10. p. 1108. C.); *tria quædam* NAZIAN. Orat. 23. n. 11. et 12. — 20. n. 5. — 31. n. 4. et 9. — 42. n. 15. et 16. et in ep. 101. ad Cledon., AUG. L. 6. de Trin. c. 9. et L. 7. c. 4. GREG. L. 29. Mor. c. 16. (al. 31. n. 70.) et L. 30. c. 5. (al. 4. n. 17.) cum CONC. TOLET. XI. in Præf. (Labb. t. 6. p. 542. E. et 543. B.); *tres unitates*, BOET. L. de Trin. unitat. c. 3. cum CONC. RHEMENSIS (Labb. t. 10. p. 1108. C.); *tria perfecta* BASIL. hom. 24. cont. Sabell. n. 5. EPIPHAN. hæf. 69. n. 67. CYRIL. ALEX. L. 4. Thes. (opp. t. 5. part. 1^a. p. 23. B.), DAMASC. L. 1. de Fid. c. 15. (al. 12.) cum ep. synod. CONC. CONSTANTINOPOLITANI I. ad Damasum (Labb. t. 2. p. 964.). Dum tamen eorum multi itidem *unam rem, unum ens, unum verum bonum aut perfectum* in Deo dari enuntiant, nec sibi nec nobis con-

tradicunt : his enim prædicatis numerus singularis proprius est, si essentiae aut attributis tribuantur; pluralis autem convenit, si ad Personas aut proprietates referantur : unde si obscuritas subinde adsit, aut periculum, vel suspicio erroris, juvabit quidem dicere res, entitates, veritates et perfectiones cum addito : *personales, relativas, notionales* etc. Quod ex ratione adjectum est, ex memoratis patet neutram sequelam tenere : præterquam quod etiam quælibet Persona aliarum Personarum perfectiones contineat tum *eminenter*, ratione essentiae sibi identificatae; tum *aequivalenter*, ratione propriae personalitatis aliarum personalitati aequivalens; tum *formaliter*, ratione circumin sessionis, sive continentiae specialis, qua quælibet Persona perfectionem alterius propriam continet, modo tamen et ordine distincto, ut Ruiz Disp. 30. Sect. 5. explicat.

Porro communius dicuntur perfectiones *simpliciter*; quia respectu ejusdem Personae hæ perfectiones sunt impossibiles, nec una melior altera : respective tamen ad essentiam dici possunt *simpliciter simplices*; quia essentiae eidem identificantur, et melius est eas habere quam non habere. Quanquam, an illæ debeant dici tres, an una tantum perfectio simpliciter simplex, videat, qui volet, apud Ruiz Sect. 9. loc. laudato.

ARTICULUS II.

QUENAM SINT PRINCIPIA DIVINARUM PROCESSIONUM?

368. *Nota.* Processio in Divinis duo dicit, productionem scilicet Personae, et communicationem naturæ. Ad utrumque comparata sumitur vel *active* seu pro principio, vel *passive* seu pro termino, vel *formaliter* seu pro actione. Prior acceptio est præcipua, utpote ad quam reliquas accommodare oportet; unde in una uberius versabimur. Principium cujuslibet actionis statuitur duplex, aliud *quod* seu denominationis, cui agentis denominatio tribuitur, illudque est suppositum agens, unde commune est axioma : *Actiones sunt suppositorum*; aliud *quo* seu actionis, cui convenit ipsum agere, et est vis ac virtus, per quam suppositum agit. Principium *quo* subdividitur in radicale seu remotissimum, quod radix est actionis, seu virtus agendi primordialis; in potentiale seu remotum, quod est potentia actionis, seu virtus agendi intermedia; in formale seu proximum, quod est forma aut vis actionis, seu virtus agendi immediata.

Porro certum ac receptum jam est 1°. Principium *quod* tam productivum, quam communicativum in Divinis esse idem; quia principium productionis in Divinis est productivum termini per se consubstantialis producenti, seu in eadem numero natura identificati : 2°. Idem principium in Divinis esse Personam, Patrem quidem respectu Filii, Patrem autem ac Filium respectu Spiritus sancti; cum Scriptura et Traditio declaret, Filium a Patre, et Spiritum sanctum a Patre Filioque accipere suum esse, suam substantiam et personalitatem : 3°. Naturam divinam, ut præintellectam intellectui et voluntati, esse quidem principium *quo*, sed radicale duntaxat ac remotissimum. Ratio *primi* est, quia est radix actionum omnium, requiritur simpliciter in productione, adest identice in communicatione : ratio *secundi* est, quia in

contraria DURANDI sententia nequit assignari ratio, cur Filius sit Verbum, Spiritus sanctus amor? cur processio Verbi sit generatio, Spiritus sancti non? cur processio Verbi præcedat processionem Spiritus sancti? cur Filius ab una, Spiritus sanctus a duabus Personis procedat? cur Spiritus sanctus a Filio, Filius non vicissim a Spiritu sancto procedat? cur duæ sint processiones, non una aut plures? etc. 4°. Nec intellectum aut voluntatem, nec intellectionem aut volitionem essentiali solam ac seorsim esse principium *quo* proximum, quamvis sint remotum. Ratio *primi* est, quia potentiae et actus hujusmodi essentielles sunt omnibus Personis communes, quæ omnes, sicut non sunt principia *quod*, sic nec illæ possunt esse principia *quo* proxima, neque a producto secundum quid distingui; quod tamen ob rationem productionis et influxus necessum est evenire : ratio *secundi* est, quia Filium per intellectum, Spiritum sanctum per voluntatem procedere, jam dictum est.

Sequitur ex his, principium *quo* proximum productivum sine proprietate divina explicari non posse. Quomodo autem hanc dicat, an connotative tantum, an partialiter, an totaliter ac unice, prout diversa hic est Auctorum sententia, nunc inquiritur. Tandem, quid communius circa principium *quo* communicativum dicatur, paucis subjiciemus.

369. *Dico I.* Principium *quo* proximum productivum in divinis processio- nibus sunt solæ proprietates Personarum producentium.

Prob. AUCTORITATE. 1°. Juxta Conc. Later. IV. sæpe laudatum essentia divina neque generat, neque gignitur, neque producit, neque procedit; quæ tamen propositiones essent veræ, nisi proprietates solæ forent principium *quo* proximum. 2°. Juxta CYRILL. ALEX. cont. Antropomorph. c. 6. (opp. t. 6. p. 374) : *Id quod Patrem esse intellexeris, hoc etiam est Filius, præter id unum quod Pater est.* ATHAN. Dial. 1. de Trin. n. 4. *Pater hypostasi gignit, et mandato creat.* juxta AMBR. L. 4. de Fid. c. 8. n. 81. *Generatio paternæ proprietatis est, non potentiae, juxta DAMASC. L. de 2. Christi volunt. n. 11. Omnia, quæ habet Pater, sunt Filii, sola gignendi vi excepta (1).* 3°. Juxta D. THOM. in 1^{um}. Dist. 7. q. 1. a. 2. *Essentia secundum quod est Paternitas, est principium hujus actus, quæ est generare, non sicut agens, sed sicut quo agitur*; item p. 1. q. 36. a. 4. ad 2. *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti : designatur una proprietas, quæ est forma signata per nomen, scilicet principium; et Opusc. 72. Unde essentia est quasi principium primum, proprietas vero proximum.*

Prob. RATIONE. 1°. Quod convenit uni Personæ et alteri repugnat, debet illi formaliter convenire ratione illius quod ipsi proprium est, et in quo ab alio differt : sed esse principium *quo* proximum generandi convenit Patri et repugnat Filio; ergo formaliter convenit Patri ratione illius; quod ipsi est proprium, et in quo differt a Filio; atqui hoc est sola proprietas relativa Patris; ergo.

2°. Ubi distinctio fundatur in productione, ibi illud formaliter et immediate producit, quod formaliter ac immediate distinguit; quia principium

(1) Ita latina editio Billii; textus autem græcus habet : Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατήρ, τοῦ Υἱοῦ εἰσὶν, πλην τῆς ἀγεννήσιας. Omnia quæ Pater habet, sunt Filii, excepta ingentis proprietate.